

4<sup>o</sup> Hist. rec. 881

EPITHALAMION

quod

4<sup>o</sup> P. G. no. 881

SERENISSIMIS CONIV-  
GIBVS

MAXIMILIANO

Boiariæ Duci Com. Pal. Rheni. S. R. I.  
Septemuiro Archidapifero

ET

MARIAE ANNAE  
AVSTRIACÆ


Sacratissimi & Augustissimi Imp.  
Ferdinandi II. F.

*Debiti honoris & observantia ergo  
accinuit*

COLLEGIVM MONACENSE  
SOCIET. IESV.

ANNO M. DC. XXXV.

FORMIS CORNELII LEYSSERII  
Electoralis Typographi & Bibliopolæ.



## Argumentum.

**P**ROcul à Christianis Nuptijs; procul à tantorum Principum augusta virtute, Fescennina. Castæ tamen hilaritatis elegantia, & gaudia bonarum mentium, etiam hîc admittuntur. nam neque nos volumus morosi esse. Quia verò probrosum veterem Hymenæum, Nova Roma abolevit: idcirco potius Novi ac Christiani, felicem genium, & castissimos mores descripsimus. Atque hic in Horto principe Monacensi, quem sub oculos dedimus, inambulans, sciscitanti Gratie Sorori suæ, AVSPICATISSIMAS NUPTIAS indicat. BOIARIA è triû annorû malis, eleuans latius caput, aurigis leonibus, propitio Hymenæo, Vienna illabitur; SERENISSIMAM SPONSAM & AVGVSTISSIMVM SOCERVVM inuisura. Cõmemorâti corâ SACRATISSIMO CAESARE, SERENISSIMI ELECTORIS SVI, bene merita in Romanum Imperium, IMPERATOR omnem honorem habet. BOIARIA & AVSTRIA, nouis illigatæ vinculis, exultant. aperiuntur letitiæ regij fontes. Virtus chorum ducit. Emanat in vulgus tanti Fati gloria, omnia illi gestiunt præparata videri. præsertim Isara. HYMEN verò, cuius cura palmaria est, cum SERENISSIMO ELECTORE SPONSO, Viennam abiturus ad eleuandam TAEDAM, dexterâsque ritè jungendas: MONACHII Phæbo negotium dat, suo nomine

apparandi pompam redituris. Iste mitioribus Dijs conuocatis,  
 omne obsequium inuenit. Ceterum cupit Diana Venatrix,  
 sui fori apparatu, venatione nimirum, SERENISSIMOS  
 CONIVGES excipere. Ea conceditur in campis. inueni-  
 tur tamen & altera in Vrbe. cui peragenda, Chaldæa Fera  
 Nabuchodonosor, dignum spectaculo prodigium, à Phœ-  
 bo proponitur, venabulis tragicis exagitandum: ut populus  
 omnis animosa voluptate frui possit. quando utiq; campestris  
 venatio, pauciores Spectatores habet. Sequuntur vota ap-  
 precantium FAUSTISSIMIS NVPTIIS, ut mos est,  
 Optimorum Optima.

# EPITHALAMION.



**H**ORTVS ad Auroram spectat, quo pulchrius Orbis  
 Vix quidquam Germanus habet; pretiosior auro  
 Hesperidum; & si quod multa aula Semiramis olim,  
 Ventorum auxilio, pendens nemus intulit assris.  
 Illum oriens Titan primis hinnitibus afflat,  
 Subsistitque diu faciem miratus amœnam;  
 Et præteruectus Clymenæi nectaris imbrem  
 Inuergit: referuntque Dies ab honore Ministri,  
 Sæpe volutantem Dominum dubitasse, suamne  
 Deberet volucrem Phœnicem, his credere septis.  
 Hic habitat festinus HYMEN, diuersus ab illo,  
 Quem Musâ genitum prisca coluere, virenti  
 Verbena nucibusque proci, Cyprijsque columbis.  
 Hunc noua concepit Tyberino in littore Roma,  
 In castos enixa toros: quo tempore septem  
 Montibus accessit Rupes Octaua Tonantis.  
 Atque inter scopulos dominari PÆTRA Latinos  
 Cœpit, & obtriuuit veterum delubra Deorum.  
 Integer ardenti placidè suspirat in Ara,  
 Inque animos elementer agit, mitique calore  
 Sulcitat, & tantùm caelestes inferit ignes.  
 Quem penes est Geniale Sacrum, sidusque benigni  
 Pectoris, & blandi dulcis consensus amoris.  
 Vnde suo fretus genio, quaque augure gemma  
 Incendit digitos; sensus explorat in omni  
 Coniuge secretos, penetratque arcana futuri.  
 Quodque immane bonum est; paribus coniungere tædis  
 Dignatur similes, & mentes mentibus æquat.  
 Non lauat ex Hermo digitos vel Gange: sed hæret  
 Annulus in manibus perfecto ferreo orbe.  
 Quem nec Chrysolitho decorat, nec iaspide cingit,  
 Nec flammis Hyacinthe tuis. præfertur amoris  
 Nutrimenta sui carpens rigidissima, MAGNES.  
 Qui rapit arcano ductus spiramine ferrum,  
 Idque flagrans spreto complectitur archiùs auro.  
 Cuius ab exemplo, non dotem suaserit vlli

Extorquere minis : nam tantum nouit amare  
 Fortiter, id quod amat ; tantumque id nouit amare.  
 Infames Veneris stimulos, Puerique salacis  
 Immitem telis Pharetram; vel fæda Getarum  
 Fœdera, & Othrysiq; damnat connubia Turcæ,  
 Odit Hamadryades, & rustica pectora Faunos.  
 Sanctior ingenuis flammæ deradit ab astris,  
 Cùm dulci risu se scintillantia soluunt.  
 Quas vbi collegit non degener Hesperus, altè  
 Infundit Sponsis, & serica vincula necit.  
 Pacis opus : durant, quasi sint adamante ligata.  
 Vestales animos innodat ahenea virtus.

Æquas inter Charites, & gaudia mentis,  
 Pronubus hic amplo Iuuenis spatiat in Horto.  
 Cuius in amplexu tholus est, mediæque medulla  
 Surgit aprica Domus, mulcenti peruia vento.  
 Namque Euris, reliquæque timent accedere Buccæ,  
 Sparfa nitent a sarota solo : fastigia fornix  
 Illaqueat : paries variato murice fulget.  
 Tota loci series octo diuisa recedit  
 Partibus. Euterpe reperit, scripsitque Thalia,  
 Compegit Nemoris corpus florale voluptas,  
 Et certo tinxit felicia germina succo.

Mœnibus ambitur solidis, quibus hæret vtrisque  
 Porticus excurrens, vasto longissima tractu.  
 Fortia quo videas magni monumenta Labores  
 Herculis : vt Libycum compresso gutture monstrum  
 Edomet, offensus monstro maiore Nouercâ.  
 Ferratas vt figat aues ; mediæque subactum  
 Corpore Terrigenam, dextrâ sustollat in altum.  
 Exclamare putes miserum, nimirumque negatam  
 Terræ matris opem, pendenti quærere calce.  
 Sic premit Alcides, premiturque Anthæus, & agrè  
 Stridenti vapidum reuocat pulmone calorem.  
 Ipse aliquando ruit verus Tirythius astris.  
 Visurus fictos : conformatisque lacertis  
 Ad simulacra, suum corpus metitur in umbra ;  
 Maiorèsq; fremens meritò dolet esse Colossos,  
 Sic alibi pariter victus, cùm imponitur æther,

Sudat & Atlantem turbato respicit ore,  
 Adiectumque nouum queritur sub pondere pondus.  
 At loue sub tepido, quem libera ventilat aura,  
 Perpetuo porrecta virent Topiaria cinctu.  
 Nil vacat. optandis indulgent omnia votis.  
 Hic Maij rubicunda cohors, hic candida ruptis  
 In campum prodit calathis. pars sparfa capillos  
 Puniceos, pars cæruleis argentea guttis,  
 Pars collo candente nitens, pars corpore flaua,  
 Vincunt Pæstani speciosos ruris ephebos.  
 Gratia nam maior, mitissima nomina comptis  
 Ex merito natura dedit ; quibus æmula Natos  
 Quæque suos ambit genitrix ornare puellus.  
 Areolæ fragrant : thalamiq; & mollia terræ  
 Strata, quibus recubant, Milesia vellera vincunt.  
 Ipsi autem innocuæ vitæ, summiq; pudoris,  
 Et faciles animi flores, examine iusto,  
 Ad sua clementis serpunt tentoria cliui.  
 Vt quando in belli conflictum Chloris itura,  
 Tympana pulsaret turmas cogentia, contra  
 Terribiles tribulos, vrticarumque nepotes :  
 Illicet accinctas acies, & robur haberet  
 Militiæ venale suæ, nasumque moueret.

Præpollens alibi multâ super arbore foetum  
 Prosternit Pomona caput, variatque colores  
 Et numerat prolem, quam toto largiùs antio  
 Educet incolumem, riualiq; vberè lactet.  
 Omnes incinctæ folijs, ceu crinibus, adstant :  
 Consertatque manus. ramorumque agmina tendunt  
 Ponderibus librata suis, mittuntur in ænum  
 Fæcundæ tantum. multa illis aurea mala  
 Delicias faciunt. nulla illis Punica mala ;  
 Quod nunquam fallant, vacuum frustrata colonum,  
 O ! quoties Nymphæ vicini fluminis, alta  
 Fraude tenebrarum tectæ, dum Cynthia lusca  
 Connuet, tãcito passu gradiuntur in Hortum,  
 Et narrata volunt decerpere poma : sed adsunt  
 Custodes strictis in talia furta sagittis,  
 Et cupidus arcent, fructusque tuentur Amores.

Iam cum lenes tepet, blandaque Fauonius aura  
 Excitat à somno lucum: vigilare coactæ,  
 Dulce strepunt omnes, commota fronde, sorores,  
 Fratrumque sonum, Zephyro ridente, remittunt.  
 Mobilis alloquij H Y M E N Æ V M affatur, & audit,  
 Alteraque alterius garritibus vititur arbor.  
 Concentum credas in rupe Heliconide natum  
 Proripisse Nouem, Phœbo Pythona ferente,  
 Viuunt felices, magna est concordia morum,  
 Sequè fouent & amant, & mutua brachia nectunt.  
 Quòd si præteriens testudine luderet Orpheus  
 Thracius; his sanè tota ex radice luberet  
 Sub Gætica saltare lyra, podagràmque fugare.  
 Esto: non feriat Vates Rhodopeius aures  
 Carmine; dum feriat saltem Rhodopeia pellex.  
 Suaue trahit Philomela melos, laudémque meretur;  
 Et laudem notat ipsa suam, vultque ipsa notari.  
 Prouocat in medium, si fortè Thalassius audit  
 Manè salutatus, modò namque æquabilis vno  
 Assurgit tractu, guttúrque volubile longo  
 Lubricat impulsu, facilésque expectorat auras.  
 Difficiles numeros modò colluctata retorquet,  
 Infuscat, scindit, carpitque ac plurima mutat,  
 Plurima dum mutat, surgit Symphonia discors.  
 Quando poscit Hymen, liquidos puri aëris haustus  
 Projicit, absorbetque iterum iaculabile murmur,  
 Atque intra fauces subigit, tacitúmque choreuma  
 Delibrat, donec campo prorumpat aperto.  
 Vna eadémque canit toties distincta, venitque  
 Obuia sæpe sibi, nonnunquam aduersa, caditque  
 Ac surgit, vocémque premit, vocémque coruscant.  
 Quòd si festa Duces subeant connubia; mouit,  
 Nouit & ipsa suos ad pompam augere tumultus.  
 Erigitur sublime tuens, rostroque perorat  
 Fustus: è Rostro credas præfagia dici.  
 Iamque vt Lympha sonat: quæ cursus immemor arua  
 Radit, & inuentos diuexat rore lapillos.  
 Iam maiore modo turgens, viuentis ad instar.  
 Fluminis, Aonidum lapsus imitatur aquarum,

Et

Et sua Pegaseis stipat præcordia bullis.  
 Iam pigri de more vadi, gemit intercisum;  
 Et gemitus alia mox interpellat aena,  
 Nonnunquam in duplices, dimisso simplice, ductus  
 Emicat, & pleno tinnit constantius ore.  
 Dant animos Sponsi, facundà fluctuat aër  
 Temperie vocum; modulósque reciprocos vrget,  
 Singultúsque novos reddit, nam gratia felix  
 Suadet vtrasque vices, & amant alterna Camœnæ.  
 Laudat H Y M E N, meritæque alas formosus inaurat.  
 Cætera quid memorem miracula nobilis Horti?  
 Visuntur grati errores, tortique recessus  
 Dædaleis manibus Labyrinthi flexibus errant.  
 Quò neque pertingat Phaëthontis noxius error;  
 Nec rabidos jaciat latrator Sirius ignes.  
 Musarum Phœbiq; locus melioris, & arcu  
 Deposito citharas, secretaque tecta petentis.  
 Illic sæpe canit, mox & pellucida Nais  
 Aduolat, & vinci Siren arguta fatetur.

Parte alia non est vetitum succedere soli.  
 Quin inuitatur, quin inuitatus ab axe  
 Desilit, & radijs crines exfoluit honestis.  
 Ac tantisper equis (quis enim hæc astuta notabit  
 Otia?) detentis, nemoris petit arduus vmbra.  
 Aut talè inscribit buxo, reuolutaque monstrat  
 Tempora, & angustat spatiosos ætheris orbes;  
 Cælestesque vias, cursúsque in margine signat.  
 Nec gratis: ventrem raptis solatus anhelum  
 Obsaturat pomis, artúsque in flumine fessos  
 Abluit egelido: donec repetita Phlegontis  
 Tergora conscendens, motis velocius Horis  
 Neglectum compenset iter. Quà collis ad imam  
 Vergit planiciem, stagnum natat, & vada torquet  
 Frigida, Neptuno non despicienda jocanti.  
 Fama est, in famuli obsequium descendere noctu  
 Sæpius, & structo ripas defendere tophe:  
 Inque lacu ingentem gyrare Palæmona piscem.  
 Nymphæum lusura Thetis, canúsque frequentat  
 Nereus, & circum gemini modulantur olores,

B

Multi-

Multiplicata stupet ductus per gaudia visus,  
 Scena viret, redolet myrtus, vindemia thyrsum  
 Occupat, & duci nubentem par pinus vlmum.  
 Vix nocturna queunt Satyrorum furta caueri:  
 Tam dulces comiæ è palmitè procreat vuas.  
 Indica cum patrijs peregrinæque germina certant.  
 Sed superant fontes: quibus & Cytherea renasci,  
 Et tingi Galatea velit; nisi torna pudici  
 Obstet cura Dei: neque enim hoc permisit illis.  
 Aere nouo plumbòque meant, varijsque figuris  
 Propelluntur aquæ. mansuescunt colla draconum  
 Interfusa notis. abscidâ fulminis alâ,  
 Pincernam Iouis ales agit, laticesque propinat.  
 Hi fugiunt iterum. tremulus cincinnus in orbem  
 Cogitur, assiduo renouans sua cærula lapsu.  
 Mox sorbetur humo. Fors illas stabat ad vndas  
 Coniugij numen: cum quæ blandissima virgo est  
 Euphrosyne Charitum, subit, inque tenerrima verba  
 Nos modò jucundo fruimur jactantiùs æuo,  
 Túque magis, sed enim ingrati duri que videmur:  
 Qui patimur Viduum facientem hæc otia nobis,  
 Tot curis bellis que premi; nec blanda vicissim  
 Otia, nec nostri decus indulgemus amoris.  
 Tunc Româ genitus: nimium Sorora aurea Fratrem  
 Instigas memorem, præuenimus omnia vota.  
 Imperij refert, id procurare, quod optas.  
 Exulta: quem nos titulis veneramur & ostro,  
 BOIEVS AVSTRIACAM SPONSAM SEPTEMVIR habebit.  
 Votis annuimus tacitis, ea causa mouebat  
 Hoc totum lustrare nemo, fontes que ciere.  
 Nunc buxum tondete manus, Noménque beatum:  
 Pingite: scribatur cunctis in floribus ANNA.  
 Virginis id nomen, cupient admittere fidus  
 Hoc omaes viola: cupient in fila secari;  
 Huic Philomela canet, lymphæ que rosa que micabunt.  
 Stat mihi concordés semper coniungere dextras.  
 Præterijt Maius, mensis felicior ardet.  
 Interea rapido cursu delapsa Viennam.  
 BOICADIVA super, summo stetit æthere contra

Cæsareas arces, cesserunt nubila luci,  
 Aduentum testata Deæ; pretioque Sabæus  
 Plus quàm mortali vestigia prodidit imber.  
 Currus Eleusinus: duo quem traxere leones,  
 Maiores illo, qui stellis additus axem  
 Perfurit, & longo rugitu sidera terret.  
 Adde: quòd & mites, nam liber uterque lupaso,  
 Antefores lasciuit humi. securus ad antrum  
 Rictus accedas. frons ardua frugibus albet  
 Maturis. oculus gratà perfulgurat irâ.  
 Pulsat cauda solum: transmittunt aëra malæ,  
 Voluitur aurato Getula in vellere moles.  
 At Dea secretam gressum promouit in Aulam,  
 Interiore polo, dignaque in sede recepta  
 Substitit, & prono vultu libauit honorem,  
 AVSTRIACI gauisa IOVIS contingere dextram  
 Exhilarans animosa genas, dein talia fatur.

Si genibus questura tuis affunderer, & me  
 Vrgeret mœstam duri sententia fati:  
 Non hoc conspiceres velatam, CÆSAR, amictu.  
 Alteraque atratos temeraret Synthesis artus.  
 Nunc alios suadet triplex mihi GRATIA cultus,  
 Versaque Fortunæ facies meliore metallo.  
 Expertum est, neclæta diu, nec acerba manere.  
 Quid tribus his annis ad nostram defuit vnam  
 Exitique Iuem? Siculi tormenta tyranni  
 Profuerat, calidumque Fabro monstrante iuuenum  
 In nostro sensisse foro. vis, arma, cometa,  
 Sanguinei nimbi, lapides, incendia, bustum,  
 Ut ne cuncta querar, deformauere venustam.  
 Ac nisi conjunctis mecum Soror AVSTRIA peltis,  
 Instar Amazonidum, medios pugnasset in hostes:  
 Quo nunc in tumulto, qua nunc in nocte jaceret  
 Imperij decliue chaos? fera bella fatemur,  
 Expauitque nefas Orbis vertendus in ignem.  
 Semper summa timent, & Rex Saturnius olim  
 Anguipedum sensit furias, domuit que Gigantes  
 Sulphur, & in cineres fumantia membra redegit.  
 Sed Diui iuue re simul, metuendus acutis

Gradius gladijs, hasta Tritonia Pallas.

Te quoque (nam dulce est animo meminisse malorum)

Non vna Enceladi rabies Titania, Nostrum  
Inuasere IOVEM. cum iusta oracula legum  
Mandares: tumuere alij, sauisque nocentum  
In coniuratos stimulis abiire furores.  
Dentis opus poterat, Cadmiq̄ue armata videri  
Messis, & in iugulum segetes sauire parata,  
In culmo clangente tuba, redeamus in aui  
Speluncam, & lapsos reuocemus mentibus annos.  
Nempe quibus PRINCEPS MEVS (inclinauit & ipsa  
Immortale caput) nostro non MAXIMVS Orbi  
Visus, cessauit partis velare trophaeis  
Laurigeras Aquilas? Ex quo *Brumalia Fusco*  
Sceptra dedit *Isueni*, titulo Fortuna negato,  
Crudelem iusurajocum, lachrymasque datura  
E glacie: MEVS ille MEVS se immiscuit armis,  
Albanique iugum sordenti sanguine montis  
Victor inundauit. profugos Moldania merisit,  
Dissecuit ferrum stantes. quod Stella propinqui  
Spectauit nemoris, concussa que moenia Pragæ.  
Inde alius, semperque nouus, cum turbine miles  
Incubuit terris. vnus stirpe recisa,  
Alter successit coti, chalybémque momordit,  
Tilliacas acies, flauarum signa jubarum  
Inferiora tuis equidem: tamen aspera sensit  
Saucius, & toties sua fractus in ossa Rebellis,  
Flammigeræ Volucris nullius seuijt ira,  
Cuius non etiam contortas BOICVS hastas  
Debuerit lacerare LEO. Turfacia plaustra  
Rypimus, & rigida munitas cuspidè syluas  
Obruimus fossis. absorpta Badensis hiatu  
Machina, compleuit disiectis falcibus Orcum.  
Auspicijs hæc gesta tuis. tu classica nobis,  
Tu vires animosque dabas, nos strinximus enses.  
Cimbrorum quoque clausa palus, & vinceta catenis  
Torpuit à tabo, tenuere obiecta furentem  
Claustra: procelloso ne posset militis æstu  
Exundans, veluti Nilus, stagnare per vrbes.

Atque

Atque vtinam paribus mare frænassemus habenis  
Balthicum, & immanem Phocam, quæ prodijt illo  
Gurgite, cornigeri sorbentem flumina Rheni.  
Scilicet id clades, & publica Fata vetabant.  
Iamque aderat Suecus: quem dissimulatus & ora  
Et crinem barbámque Charon, vectabat eadem,  
Qua vehit horrendos manes & funera cymba.  
Ille Lyco exhausto tendebat ad ostia magni  
Danubij, totis bibiturus fontibus Oenum.  
DVX Meus infandum scelus & crudele notauit,  
Damnauitque sitim. non si Balæna fatiscat  
Inquit, & abruptis effundat viscera costis;  
Improba munitum squamis incidit Istrum.  
Opponat latus Anglipolis, faucésque retundat.  
Ignibus obiectis. iam nos præuertimus astum;  
Concedetque meis Antiqua Tiberia votis.  
Nos Aquilo pulset. dum CÆSAR & AVSTRIA viuat.  
Sit tanti virtus. Ex illo tempore quantos  
Sustinui fluctus? quo non demersa profundo?  
Quid tale abductæ quondam timere Lacænæ?  
Decussæ capiti turres: sulcata que ferri  
Supplicio faciem, prope capta trahebar Adolpho.  
Dis nata à Gottho. qui luxuriante malorum  
Maiestate ferrox, amplexus gaudia nostri,  
Barbarus audebat Scythico promittere lecto.  
Addebat iam Leno minas; & quidquid acerbum  
Vel graue blanditijs, vel formidabile luctu,  
Abdidit insidijs tristis clementia Sueci.  
Sed vicit tua fors, CÆSAR, fortunæque nostra  
Te saluo redijt. cumulauit victima sensum  
Lætitia: quod te viuente receperit hastam  
Pectoris obnixu, trabeati *Bessia* colli.  
Eruimus ferale nefas, clausasque sub antro  
Immansueti animi, solerti indagine, mortes.  
Principis vnus felix sapientia vicit.  
Te propter gelidas hyberno fidere noctes  
Extraxit, viditque vigil tardare Booten.  
Te propter rapidos soles tolerauit in armis,  
Intrauitque casas, & nulla vmbracula fixit.

B 3

His

His meritis Vnum, vel si quid apertius, VNAM  
 Sollicito, quiddámque mihi regale pacifcor.  
 Mec mea vota moror. qui tot seruauerat vrbes;  
 Hannibalésque nouos rimatus mente sagaci,  
 E mediarapuit non vnum clade Saguntum;  
 MVRALEM poterat forsan sperare Coronam:  
 Quique *Ratis* - fragmenta - *Bona* statione recepit;  
 NAUALEM è rostris. Sed tu concede IVGALEM,  
 Et fatis est. talem neque Roma aspexerit vnquam;  
 ET MEVS hoc pretium cupiet DVX VIRGINIS esse.  
 ANNAM, DIVE PARENS, illi deposcimus, ANNAM.  
 Per te, perque tuos; per meque, meosque triumphos  
 Obtestor; patiare cani Socer: ille meretur  
 Esse Gener. quid opus multis contendere? Mater  
 Olim nostra fuit: reddatur Filia nobis.  
 In fontem redeat sanguis. volet ipse redire.  
 Iam promisit HYMEN, nostro qui degit in Horto:  
 Atque recedenti, nihil ambige, dixit: amabit  
 Quam petis. in teneros abeunt suspiria sensus.  
 Sic Dea: sic contra placidis sermonibus orfus  
 IVPITER AVSTRIACVS. Scimus discrimina rerum;  
 Et noua Theutonica memorata piacula Phlegrae,  
 In nos sacrilego surgentia vidimus ausu.  
 Sed damnata luunt. si quis superesse Tiphoeus  
 Ardeat, ardebit. Causa nos fidimus isti,  
 Quam Deus ipse probat; tot fortia pectora, toto  
 Pectore defendunt. Non sum deuinctior vlli,  
 Quam TIBI, quamque Tuo, pro me tot bella gerenti  
 Non delenda DICI. Sciet hoc Victoria Virgo.  
 Id quoque testatum transmissio fecimus OSTRO,  
 Inque VIRIS SEPTEM socium dignanter Honoris  
 Summi censuimus, namque hoc meruere profunda  
 Consilia, ætheriumque iubar, quod mente resulget.  
 Insuper è nostra natam IYNONE, tuaque,  
 Offerimus SPONSAM. CONIUX SIT PRINCIPIS ANNA.  
 Acceleret. Dixit, vultumque ad sidera torfit.  
 Confestim strepuere Lares, dulcique tumultu  
 Ista, flagellatis nutauit postibus Aula.  
 Indicium choreis muri plausere futuris.

Iamque

Iamque super MARIAM ningebat floribus albis,  
 Mixtaque odorata de nubeligufraca debant,  
 In nimbi tumefacta modum. Sed & ipsa beatae  
 Conscia lætitiæ, Superum præcordia dulces  
 Effudere iocos. nam mutauere colores,  
 Affectu dictante nouum. placuisse volebat  
 Non sibi, sed simili Quæuis. niuibúsque rossique  
 BOICA se sparfit: Virgatis AVSTRIA Rhombis  
 Processit. teneri ingenium risere lepores.  
 Inque vicem sese mirè alternantibus odis  
 Compellant. Tu nostra Soror: Iam tu quoque Mater.  
 Tu diuina Nurus: Tu Soerus. Tu mea Lux es;  
 Tuque Oculus. Generum tu nostrum abitura saluta.  
 Tu valedic Socero: nam festinam abire,  
 Talibus argutant. iunctos arcana Leones.  
 Inuasere etiam calefactis gaudia fibris.  
 Usque ad eò mulcere iubas, & terga dederunt  
 Atrectanda manu. Quibus ad pilita reductis,  
 Et circumfusum findentibus aëra longis  
 Tractibus, arrecto patriam remone subiuit,  
 Nubibus æquatas arces, eductaque templa.  
 Fama volat, proceresque docer populumque Thalia  
 Connubiale Sacrum, Myrtusque & Tæda paratur.  
 Et quacunque fluit rixantibus Isara ripis;  
 Nereidum studio celebres narrantur amores.  
 Quæque comas vitreo distinguit pectine Nympha,  
 Et molli musco, glaucisque obsessa lapillis,  
 Gestit in aduentum SPONSÆ formosa videri.  
 Ipse Pater renouat fontes, vnamque superbo  
 Temperat argento, chlamydémque è virgine sumit  
 Crystallo, cannâque inflexos laxat amictus;  
 Et meliore caput præcellus arundine mutat.  
 Anget HYMEN solemne decus, visque paratu  
 Obsequij, iacit ex Horto conchâsque marinas,  
 Sertaque, sed magno tamen hæc studio neglecta:  
 Quæ deceant hirtum caput, informémque senectam.  
 Addidit incultos versus, & non bene natas  
 E vulgo violas, & vulgares Hyacinthos.  
 Addidit & cultos versus, hilarésque Smaragdos.

Et



Et quærorantes lucent electra per herbas.

Nec non sollicitus, quanto molimine **N V P T A M**

Ipsæ quoque excipiat venientem; abiturus amicum

Alloquitur Phœbum, namque hoc spes omnis in vno.

Intonsi iuvenes pariter, pariterque sereni,

Ambo lyras & carmen amant, curasque relaxant,

Et non sanguineis collidunt barbata curis.

Latonæ soboles, Præses dignissime Cyrrhæ.

Nunc quoniam nostro subituri more Viennam

**P R I N C I P E** cum **S P O N S O**, tædam attollemus in altum:

(Non etenim fas est me absente attollere in altum)

Interea sis alter Hymen: molire beatam

Arte tuâ pompam, tibi pulchra negotia mando.

Omnia parebunt festiuis numina votis.

Sed caue, ne sis trum ferias, credasque licere

Cuncta tibi; molles numeros fœdæque procaces,

Et Fescenninos iterum damnamus amores.

Castâ volunt Superi, ducenda **A S T R A** per Orbem,

**S I D E R I S** allucente **I V B A**, ducenda decorè est.

Cætera curabis, sic, quæ tua respuit olim

(Aspice mercedem) cupiet connubia Daphne.

Sic ait, & plectro digitos imponere iussit,

Et iuraturum proprias contingere vittas.

Contigit, imposuit, iuravit; & omnia fila

Pertentans, fultusque sacro testudinis auro,

Grates lætus agit; discedentemque **H Y M E N E V M**

Prosequitur cantu, canit vna cygnus, & alnus

Sibilat, & metrum ramis vocalibus effert.

Decidit in rupes, ramisque assibilat echo.

Illeabit; atque **D Y C I** decus auspiciûmque daturus

Lampade solemni, vadit comitantibus Floris

De meliore nota, placido Titane creatis.

Respiciens tamen vsque suum videt eminus Hortum.

At Phœbus, quem iam curæ iussique labores

Distringunt, certo reliquos ex nomine Diuos

Ad fontes & ad antra citat, syluamque dolosam

Theseos, & viridi mœandros sepe reductos.

Huc coëre Dij. Spumosas exprimit uvas

Lenæus, fundit genetrix pulcherrima frugum

Flauentes æstatis opes; baccamque Minerua

Protulit, & grandes Venatrix Delia ceruos.

Phœbus ait: vos ô quibus huius copia lucis

Exornanda data est, tantum cognoscite munus.

Neu pudeat quemquam famulari talibus, ambo

Nos superant. **H I C** est Supremo proximus: **I L L A**,

Filia Supremi, pulchrum certamen Honoris.

**H I C** aduersa potest & tristia ferre secundo

Ac læto vultu, constans; læta atque secunda

Aduerso & tristi, numquid sublimius itur?

**I L L A** per Europam celeberrima, Cæsare nata;

Sed nihil Europæ, præter decus oris honesti

Sidereasque genas retinet, frontisque pruina.

**H I C** grauibus curis innectit mitia iura,

Et rigidos castis substernit legibus enses.

**I L L A** voluptatem generoso semper Honesto

Posthabuit, veteres exæquatura Sabinas.

**H I C** positus supra fortunæ flebile plumbum,

Calcet plebeias in mentis vertice valles.

**I L L A** Patris pietate fragrans, cum plurima formæ

Debeat, excelsis virtutibus omnia debet.

**H I C** ea Legatis responsa petentibus edit,

Ut sæpe attoniti dicant: Hæc hausit ab astris.

**I L L A** suæ sacræ **G E N I T R I C I S** imagine plena

Quod didicit teneris, auget vernantibus annis.

**H I C** agitans rerum molem magnosque recessus,

Consilium ipse sibi est, gestatque in corde senatum.

**I L L A** legens libros & prisca exempla pudoris,

Viuit, ut exemplum poni mereatur & ipsa.

**H V I V S** adorandus **G E N I T O R**, quam grande Lycaum

Exstruxit nobis! ut malim habitare sub illo,

Quam Clario dormire iugo; Pallasque relicta

Phocide, Pierijs merito discedere syluis

Possit, & Argiuas nemo miretur Athenas.

**I L L I V S** mirabor **A V O S**, dum nostra sonabunt

Littora, dumque alio vultu torquebimus axem.

Si quæ dona mihi, nunquam numeranda, dederunt

Enumerem; frangamque fides, lituòsque tubasque;

Argentique lacus cumulem torrentibus auri.

Obsupuere Dij, & plausum assensumque dedere:  
 Hanc Bigam, pergit Pharetratus, comite pulchris  
 Ritibus; hanc reducem vestra ceruice leuate.  
 Tu mensas succincta Ceres, thalamumque memento  
 Sternere: tu Liber missis seruire racemis,  
 Tu manibus lymphas, è puri fluminis vna  
 Cymodoce formosa dabis; figésque pudica  
 Basia, & ó-dices, quàm nos hæc numina vincunt,  
 Flauas Luzcothoe pateras & janthina terget  
 Pocula: curabit nostram Cyllenius artem.  
 Dum vasto Patris cerebro prognata, politos  
 Ora sales jaciens, miscebiris fama verbis.  
 Quadrabit Dictynna dapes. Latonia Fratrem  
 Occupat: & nunquid maculis incingere saltus,  
 Irritare feras cornu canibusque pigebit?  
 Sunt mihi tot comites studijs communibus aptæ:  
 Nebrophone Cynthi, Cretæ Britomartis, & Opis  
 Optima: seu damas placeat, seu figere nostros  
 Aurigas: istis humeros & brachia nudis,  
 Pérque mihi suetos Dótale sonantibus agros  
 Nomen, in occursum SPONSÆ properabimus ANNÆ.  
 Annuit, & laxo respondens Phœbus ab arcu  
 Spicula concussit. potes his, ait, eminus vti.  
 Nam quis lustra vetet jam perlustrare ferina?  
 Id tamen in placito tantarum pondere rerum  
 Nondum dispicimus: posituris rotia campo  
 Rodosâsque plagas; quænam reditura voluptas  
 Sit tam sollicitos compensatura labores,  
 Nam quora pars fruitur? quis Ciuis in auia fertur?  
 Scrutaturque cauas decisis frondibus alnos,  
 Aut querceta subit Dodonæasque cauernas?  
 Si eorum pauitantem ensis, si lancea pinguem  
 Haulit aprum: perijs voti mox tota cupido.  
 Atqui non ego te, tua nec spectacula damno,  
 Si modò sufficerent nobis. quia rure vagantur  
 Sunt priuata nimis. communia gaudia, plausu  
 Comuni sancire decet. Venabimur ergo?  
 In media potius Brutum venabimur Vrbe.  
 Est mihi, sitque precor VATES dilectus ab Oeno.

Qui

Qui super Euphraten mediúmque canorus Orontem,  
 Dum nostris ludit fidibus, graditurque cothurno:  
 Ecce tibi! saliant montes, & sylua recedit  
 Alternum factura pedem. nemus omne solutus  
 Fit plantis petulans, & migrat ad orgia plecti.  
 Adrespere feræ plures, quàm Bistonis illa  
 Testudo sonitu collectas mouerat: (aures  
 Arrexere Dij) quarum sublimior vna,  
 Cornua surrexit simo coeuntia vultu.  
 Trinibus & digitis, & multo corpore, fædis  
 Par auibus Stymphe tuis, quas horruit atrox  
 Phineus, vertentes turpi conuiuia sulce,  
 Istud Prodigium meus interceptit Alumnus;  
 Et pedibus vinctum, Latias transmisit in oras.  
 Grata est ludibrii species, monstrosaque narrat  
 Indigenæ, qualis, quo viuat Bellua sumptu.  
 Quas metamorphoses, quos manes sentiat. Olim  
 Rex erat, & latè sceptrum Babylone mouebat  
 Interras, alio quas Sol nouus obruo curru,  
 Augustus, pronepósque Nini, metuendus & armis  
 Et phaleris, gemmâ gemmas epulatus in vda,  
 Contempsit nostrum Nectar, Phrygióque leuatos  
 Pincerna latices, & quidquid Iuno recoxit  
 Pauonis. Formæ eximius mirique decoris  
 Fulgebat. frons, ora, genæ, duo lumina, nares,  
 Casaries, totumque CAPVT concreuerat AVRO  
 Hinc diues pretiósque ferox; gentésque Regentis  
 Pallida cum Bactris timuerunt Susa secures.  
 At postquam tragicos impleuit Numine fastus,  
 Et cælum incestans terras ex asse petiuit:  
 Utque *Hodie Ergo Dij secum* super æthere *regna*  
*Diuiderent;* HODIE: quæ Vox excluderat omnes  
 Imperiosa moras; animo solióque superbo  
 Deiectus factusque *Fera* est. depascitur herbas:  
 Et sua tesqua petens vlulat, mugitque, rudique,  
 Et loquitur. saltem dat toruo murmure signa,  
 Se se velle loqui. cur non id Velle loquatur;  
 Bigeminus stupet, & sibi fit mirabilis ipsi.  
 Id lepidum! quoties sua contemplatur in amne

C 2

Colla

Colla Niphateo; palearia pendula damnat,  
 Informesque toros, & se ipsum funditus horret.  
 Haud aliter præter ripas errauerit io.  
 Talem nostra Feram si nunc ad Mœnala BOIIS  
 Ducimus, an poteris mihi succensere Diana?  
 Illa negat: sentit tamen, affectuque natante  
 Plorat, & in medio ridet sua iurgia fletu.  
 Id decuit. dixit post hæc suspiria, Fiat.

Tunc telis citharæque potens: ΔΕΛΒΟΙΣΑ gaude:  
 Tuque mihi conformis ΗΥΜΕΝ circumspice Daphnen  
 Promissam. ad latum mandata exhaustimus vnguem.  
 Nunc agite, & Sylvas de nostro nomine sacras  
 Cingite compedibus: namque has CHALDÆA inerrat  
 Hybrida. habet campum, quo se se gloria iactet.  
 Hæc Orchestra, nemus; molisque erecta Theatri  
 Saltus erit: venator erit mihi Roscius Actor.  
 Sunt caueæ, sunt & proscenia. qui bene SOCCIS  
 Induitur, poterit prædam deprendere cursu;  
 Et Spectatorum cuneis palmæque probari,  
 Deprensam, moneo, ne ferro porrigere. viuum  
 Siste ante ora DVCVM, maiusque merebere nomen.  
 Forsitan Assyrii portentum nobile mundi  
 In coram volet & propius cognoscere lætus  
 SPONSVS, & in nostris ridebit saltibus ANNA.

Signa sonent, infla Clarium Tritonia cornu.  
 Quando Soror Diana nequit, podiumque reuise,  
 Bellerophontis equum fortes insternite Mulæ,  
 Comica luctantes eriscent venabula Vates,  
 Semiferumque trahant, Centauri more ruentem.  
 Desuper ipse volans turbatum agitabo, suisque  
 Proliciam latebris, modo præscia fomina tristis  
 Immittam, arcanique poli laqueata futuris  
 Rebus, & in vastum quidquid protenditur æuum.  
 Blanditijs modo mulcebo: quibus æquore in alto  
 Delphinus capitur, Britonumque in littore ludit.  
 Sunt mihi tres Pueri, linguas quibus ipsa disertas  
 Calliope facunda dedit, docuitque mouere.  
 Mitens hi senibus cygnis, vel in ignibus ætas,  
 Et media fornace cauent. conamora stupebit

Bellus.

Bellua. Si Leo sit: capient miracula flammæ,  
 Innocuo circum voluentis corpora lapsu,  
 Quæque recusabit vestes libare fauilla.  
 Quod si prodiderit barritu diro Elephantum,  
 Acclinans latus arboribus, Cedrisque comato  
 Vertice, trans altas nubes ferientibus astra:  
 Hic situs optandus, namque hoc solet Africa tuto  
 Sternere sopitum, sonat excelsura bipennis  
 Arboris hunc fastum, detruncandumque cacumen.  
 Salua stirpe quidem: septem tamen occider annis.  
 Sunt alia technæ, disrupto ventre Draconis  
 Terreri poterit, fusoque per arua veneno.  
 Cum fugiet; spargam cineres per nobile fanum:  
 Tardabunt aliena pedum vestigia cursus.  
 Ut reddam attonitum pecus & mansuescat in umbra,  
 Ignotos thyasos quatiam: sua nomina nobis  
 Pænque Palæque dabunt, ludentque ad carmina Fauni,  
 Et Ganymedææ retinebit Pyrrhica turma.  
 Sic capienda Fera est. Properate, quid! ô quid amoris  
 Cernimus! adueniunt, festo clamore VIENNA  
 Æstuat, & Stephani quatitur lapidosa per auras  
 Turris, & ingenti designat gaudia motu.  
 Iam dextras coniunxit ΗΥΜΕΝ: iam Tæda coruscet  
 Pineæ, iam spinis æther incenditur albis.  
 Maturate, venit PRINCEPS cum CONIVGE CONIVX.  
 Mente mea video sudum per inane volantes  
 Armigeras Avium turmas, colloque iubatos  
 Signiferos, agili tuto confligere lapsu,  
 Deseritur natale solum. pede prata teruntur  
 Gramineos libante toros, euoluitur Oeni  
 Fluctus in occursum, glauco velamine cincti.  
 Quodque aliquos nuper temulentis merferat vadis:  
 Admissi sceleris pudet, & Tritona reuinctis  
 Post tergum remis, ad debita vincula sistit,  
 Procedunt: pulvisque iugis attollitur imis.  
 Sed nubem dispellit Hymen, & turbat arenas  
 Imbre superfuso: ne noxia puluere crasso  
 Intempestiuos trudet caligo vapores.  
 Adsunt, Intonuit læuum, nubisque resultant.

C 3

SALVE

## EPIPHALAMION.

SALVE (vos omnes iteratò nomine) SALVE.  
 Pergite. compositos numeros tamen antè probemus.  
 Seria res agitur. Vox una, sed absona, totum  
 Perturbare chorum, & SPONSOS offendere posset.  
 Præcine Calliope, peccantem quemque monebo.  
 PAR SVPERVM, QVOD CERNO LIBENS, *sustollite vultum*  
*Plaudite confertis manibus.* PROCEDE SECUNDIS  
 OMINIBVS. *Septemque simul procedite passus.*  
*Euterpe reuoca octauum: Polihymnia quinto*  
*Adde duos. SERO ASTROVVM COMSCENDERE SEDES*  
*Basche leua vocem. VT CUPIAS; iam Stentoris instar*  
*Ingeminas: moderare sonum, velut incluta Clio.*  
 VT CUPIAS; MVLTYM NOSTRI TIBI PROMIMVS ÆVI.  
*Alius. ET RVTILVM SILEMI FVNDIMVS AVRVM.*  
*O rus! O Satyros! saturni fundimus aurum.*  
 SIS FELIX, QVI NOSTER ADES; *Sic Isara leni*  
*voce suas: Tu rauca Ceres imitare. FAVETO*  
 LAVDIBVS, ET GRACILES, *aliquid, nisi fallor, ommissum est:*  
*Inspice Cymodoce fontem. PROPRIIS QVE FAVETO*  
 LAVDIBVS. *indocti! quando isto more dicandum*  
*Perficiemus Epos? iam luces ab æthere clares*  
*Hesperus & SPONSI veniunt. Procumbite saltem.*  
*solum ego ES MVS AE vota absolnemus Amoris.*  
 PAR SVPERVM, quod cerno libens, procede secundis  
 Ominibus. Serò astrorum conscendere sedes  
 Ut cupias, multum nostri tibi fundimus æui  
 SIS FELIX, qui NOSTER ades, proprijsque faueto  
 Laudibus, & gracilem non aspernare camœnam.  
 Si modò sit deuota tibi, facilisque iuberi.  
 In mare non voluit mare, nec cadit æquor in æquor;  
 Sed parui tantùm riui, quandoque paludes.  
 SIS FELIX, quæ NOSTRA venis. Tibi saxa cicmus  
 In modulos. Tibi beryllos pictòsque tapetes  
 Sternimus, & cultæ commercia pandimus Aula.  
 Tu parias Cælo, pariat Tibi sidera Cælum:  
 Et bene speratos maturet Cynthia menses.